

executioni mandantur, et optime intelliguntur modo proxime explicato, et aliquid de re ipsa in sequentibus addemus, ut omnibus satisfaciamus. Nunc vero sensus hic confirmari potest ex eodem D. Thoma, quæst. 6 de Verit., art. 3, ubi, licet doceat prædestinationem habere certitudinem in ratione causæ, nihilominus, in corpore et ad 3, declarat non mandari executioni per media, quæ ex se sint infallibilia ex vi suæ causalitatis, sed ex modo quo a Deo applicantur: *Nam liberum (inquit) arbitrium deficere potest a salute; tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat.* At profecto si certitudo mediæ consisteret in auxiliis prædeterminantibus, multo brevius expedit D. Thomas difficultatem, ad illa et ad omnipotentiam et efficaciam divinæ voluntatis recurrendo, quod nunquam facit, quoties in particularibus mediis ordinem executionis declarat.

13. Nec potest ob stare alter locus in q. 6 de Malo, art. unic., ad 3, ubi differentiam constituit inter hominem et bruta, quod bruta determinate moventur ad unum per instinctum: *Sed Deus (inquit) movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet, non inducitur necessitas, sed manet libertas.* Ubi illa verba immutabiliter, et per efficaciam, statim explicat per verbum *infallibiliter*, dicens: *Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur.* Unde illa immutabilitas magis ex parte Dei quam ex parte hominis intelligenda est; Deus enim ita movet prædestinatum modo libero et contingenti (ut in utroque loco D. Thomas dicit), ut nihilominus prædestinatio Dei immutabilis sit. Hoc autem provenit ex efficacia voluntatis suæ, quæ non consistit in hoc, ut per physicam prædeterminationem ad liberum actum moveat, hoc enim repugnat, sed in hoc quod tot potest adminicula adhibere, prout videt esse congrua prædestinato, ut infallibiliter obtineat quod intendit.

14. Atque hæc tantum invenire potui in doctrina D. Thomæ, vel ab aliis allegata, vel ex parte aliqua a me observata, quæ colore aliquo possint in hoc puncto adduci. Existimo tamen illa sola sufficere ad ostendendum D. Thomam nec agnovisse, neque fortasse cogitasse de aliquo auxilio gratiæ physice prædeterminante; tum quia, si rem tanti momenti ex illo auxilio pendere existimasset,

debuisset profecto aliquam disputationem de illo texere, illius naturam et vim, et concordiam ejus cum usu libertatis clare et loculenter explicare; hoc autem nunquam fecit, ut visum est; ergo magnum argumentum est illud non agnovisse; tum etiam quia in eisdem locis, vel similibus, quæ pro illa sententia adducuntur, multa dicit quæ cum tali modo auxilii non recte subsistunt, ut obiter explicavimus.

15. *Notandum.*—*Alterum notandum.*—*Omne auxilium præveniens voluntatem, si a voluntate removeri, seu illi resisti nequit, ex necessitate libertati contraria movet.*—Præsertimque notanda sunt duo: unum est, quoties D. Thomas dicit Deum movere voluntatem secundum modum suum, explicare modum illum, ut sit modus indifferentiæ et indeterminationis ad opposita. Juxta quam interpretationem, illa duo, scilicet, movere voluntatem secundum modum suum, et prædeterminare illam, repugnantiam involvunt, secundum doctrinam D. Thomæ, quam expresse tradit in dicto quodlibet. 1, art. 7, ad 2, et dicta quæst. 6 de Malo, artic. unic., et satis indicat 1 part., quæst. 83, art. 1, ad 3 et 4, et præsertim ad 5, circa finem. Alterum notandum est, non aliter explicare D. Thomam cur Deus, præmovendo voluntatem, illam non necessitet, nisi quia ita movet ut voluntas possit moti resistere, ut expresse dicit in dicto quodlibet., ad 2. Et idem sumitur ex dicto art. unic., quæst. 6 de Malo, ad 15, ubi ait: *Quod licet Deus faciat voluntatem velle, non oportet quod ea necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari.* Hoc autem quomodo fieri possit a voluntate, explicat D. Thomas dum addit: *Vel removendo cogitationem, quæ inducit ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet, illud, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non esse bonum.* In quo aperte supponit, ut voluntas non inducatur ex necessitate per motionem præviam gratiæ, oportere ut possit illam impedire, vel removendo illam, vel alio simili modo. Et aperte loquitur de potestate voluntatis in sensu composito, nam remove cogitationem supponit cogitationem, ut per se patet. Cumque doctrina illa formalis sit, et generalis, habet locum in omni prævia motione. Unde ex doctrina D. Thomæ omne auxilium prævium præveniens voluntatem, si a voluntate removeri, seu illi resisti non potest, ex necessitate libertati contraria movet. Et ideo in eodem articulo ait D. Thomas, quod, si dispositio, per quam aliquid videtur alicui bonum, non sub-

jacet voluntati, ex necessitate voluntas movetur.

16. Est præterea optimus locus hanc D. Thomæ mentem ostendens in 1 part., quæst. 62, art. 3, ad 2, ubi sic ait: *Inclinatio gratiæ non inducit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti, et peccare; fateor quidem verba illa scripta esse de gratia habituali, nam de illa tractatur in articulo et in argumento; nihilominus nos non consideramus materialiter, ut sic dicam, illa verba, sed formalem rationem eorum; nam ratio ob quam gratia non inducit necessitatem, ideo est, quia potestati habentis subditur, ut illa utatur vel non utatur. Ergo si aliqua est gratia quæ ita inclinat mentem hominis, ut non sit in potestate voluntatis ea uti, vel non uti, sed, illa posita, necessitetur ad usum ejus, talis inclinatio gratiæ inducit necessitatem, ex mente D. Thomæ.* Et ideo in principio solutionis universalem profert sententiam: *Omnia forma inclinat suum subjectum secundum modum naturæ ejus, quod intelligitur non solum de forma per modum habitus, sed etiam per modum motionis actualis, quæ, ut recipitur in mobili, forma ejus est.* Et ita etiam de actuali habet eandem propositionem D. Thomas in locis supra citatis, et quæst. 3 de Malo, art. 2. Quid autem sit formam recipi secundum modum subjecti? Respectu rationalis naturæ, non est nisi quod in usu et effectu ejus libertati subdatur, ut in aliis verbis allegatis D. Thomas declaravit, et in aliis locis notavimus.

17. Et hinc etiam fit, quod maxime intentionem nostram confirmat, ut quoties D. Thomas vult explicare quomodo gratia, non obstante libertate habentis, illum inducit ad bonum indeclinabiliter, et infallibiliter in officio continet, non id tribuit moti prædeterminanti, sed vel custodiæ divinæ, ejusque excitationi, ut quæst. 24 de Verit., art. 9, ubi de viatoribus, etiam virtute perfectis, ait ita inclinari ad bonum, ut difficile cadant; subdit autem: *Sed totum, quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam divinæ providentiæ in illis, ut, scilicet, quancumque occasio peccati se inserit, eorum mens divinitus excitetur ad resistendum.* Vel etiam vocationi hoc tribuit, ut in quæst. 6 de Verit., art. 1, ubi ex prædestinatione dicit sequi glorificationem, in qua est consecutio finis, et collationem auxilii ad consequendum finem (utique congruum et efficac), et illud declarans, addit, *quod est appositio gratiæ, quod ad vocationem pertinet.* In vocatione ergo constituit auxilium efficac,

quod prædestinato conferitur. Quod expresse dixit super Rom. 8, lib. 6, ubi ait prædestinatos trahi per vocationem internam, quæ (dicit) *nihil aliud est quam quidam mentis instinctus, quo cor hominis movetur a Deo ad assentiendum, in his quæ sunt fidei et virtutis.* Et addit: *Et hæc vocatio in prædestinatis est efficax, quia hujusmodi vocationi assentiunt.* Unde alibi hoc auxilium vocat *efficacem persuasionem per aspera, vel per levia, etc.*, ut quæst. 22 de Verit., art. 9, ad 8, ubi hoc modo exponit illud Luc. 14: *Compelle eos intrare; et similiter Joan. 6, exponens illud: Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, dicit Patrem trahere, per illuminationem et inspirationem internam, per quam, ait, si quis non trahatur, non est defectus trahentis, qui quantum est ex se nulli deficit, sed est propter defectum ejus qui non trahitur.* Quod certe non habet locum, si prædeterminatio physica est necessaria, ut ostendimus. Ex his ergo omnibus concludimus D. Thomam de prædeterminatione physica nihil formaliter decrevisse, nec aliquid de motione voluntatis a Deo per auxilia tradidisse, quod sine tali prædeterminatione non optime subsistat; e contrario vero multa in ejus doctrina inveniri, de modo quo Deus movet voluntatem, sive per gratiam præviam, sive per alios modos providentiæ suæ, quæ partim eundem modum excitandi et trahendi homines, quem nos dicimus, præ se ferunt, partim aliqua continent, quæ physicam prædeterminationem non compatiuntur. Nam si attente considerentur quæ diximus, hæc omnia satis probata ex illis relinquuntur.

CAPUT XLVI.

QUID ALII ANTIQUI SCHOLASTICI IN HAC CONTROVERSIA SENSERINT.

1. *Punctum capitis circa auxilium gratiæ efficacis.*—In libr. 3, tractando hoc punctum, de concursu prævio et præmotione primæ causæ in secundam, an necessaria sit ad omnes actiones causarum secundarum, præter concursum simultaneum, plures Scholasticos antiquos negantes talem præmotionem esse necessariam allegavimus, applicando illam doctrinam ad punctum de concursu Dei ad actiones peccatorum. Illos ergo omnes soleo in præsentis puncto pro nostra sententia allegare, quia cum potissimum fundamentum contrariæ sententiæ abnegent ac evertant, merito

quidquid super illud ædificatum est destruxisse et negasse affirmare possumus. Et ita etiam plures illorum pro nostra sententia refert Ledesma, in principio suæ quæstionis unice de Auxiliis, nimirum Alensem, Bonaventuram, Marsilium, Gabrielem, Gregorium, Henricum, Capreolum et Cajetanum.

2. Favet primo nostræ sententiæ Alensis. — Et Alensis quidem multum favet, 1 part., quæst. 26, membr. 5, art. 3, dum declarat quomodo providentia sit de factibus liberis, non secundum acceptionem, sed secundum concessionem, ut ipse loquitur, id est, ut declarat, non secundum modum aut motionem, cui resisti non possit, sed ita ut relinquatur voluntati potestas resistendi et contradicendi, etc.; et memb. 7, art. 2, ubi ait Deum, per suam providentiam circa actiones voluntatis, non inducere necessitatem ab hoc, id est, non necessitatem causæ efficientis et impellentis, sed inducere necessitatem ad hoc, ordinando actiones ad debitos fines, quod bene declarat. Et quæst. 40, memb. 4, ad 3, excludit aperte prædeterminationem voluntatis divinæ ab actibus liberis, et videtur loqui etiam de prædeterminatione ad intra omnino absoluta, et ita exponit Damascenum, unde a fortiori sequitur Deum non prædeterminare ad extra voluntatem.

3. Secundo favet Bonaventura. — Secundo ac merito allegatur Bonaventura, licet solet in contrarium citari in 2, d. 26, art. unic., quæst. 6. Sed ibi solum tradit communem doctrinam de gratia operante et cooperante, et per utramque dicit movere Deum voluntatem, diverso tamen modo, nam per operantem solum Deus prævenit et præmovere voluntatem, per cooperantem autem movet illam non sine illa se movente, et priori gratiæ operanti solum tribuit excitare, et præparare voluntatem. Quæ omnia sunt consentanea nostræ sententiæ, nihilque addit in quo prædeterminationi physicæ ansam aliquam tribuat. Eamdemque doctrinam repetit in dist. 27, dub. 1 litterali. Addit vero, gratiam prævenientem seu operantem facere voluntatem bonam, et non fieri a libero arbitrio, sed infundi a Deo, quod dicere videtur propter gratiam habitualem, quæ ab Scholasticis operans vocatur, quatenus animam sanctificat. Si vero id applicetur ad auxilium gratiæ prævenientis seu operantis, dicitur nos facere bonos initiative, et quia per illud facit Deus ut velimus, modo in superioribus explicato, nam homo proprie non fit bonus, donec consentiat et libere operetur. Alle-

gatur etiam idem Sanctus pro physica prædeterminatione in 1, d. 40, art. 2, quæst. 1; sed ibi potius ait prædeterminationem, etiam ut est causa, non inferre necessitatem, quia non est tota causa salutis, sed cum alia causa contingenti, scilicet, libero arbitrio: Quatenus vero (inquit) præter rationem causæ importat præscientiam, sic non potest discordare a libero arbitrio, non tamen infert illi majorem necessitatem quam præscientia. Et simili modo, in dist. 47, art. 1, quæst. 1, concordare conatur decretum voluntatis Dei cum libertate nostræ voluntatis; sed solum dicit non inducere necessitatem consequentis, sed consequentiæ. Quomodo autem id sit intelligendum, non declarat, semper tamen interponit præscientiam, dicitque non majorem necessitatem per voluntatem induci, quam per præscientiam, sentitque voluntatem Dei semper esse juxta aliquam præscientiam quam supponit, ut cum ait: Bene sequitur: Deus vult hunc salvare, ergo salvabitur; nunquam enim vellet, nisi pariter præsciret esse salvandum. Ubi profecto loqui videtur de præscientia quæ, secundum rationem, præcedat voluntatem, quia alias nulla esset illa ratio. Unde in solutione ad ultimum, ait quod voluntas Dei, secundum convenientiam ad præscientiam, vult illa quæ vult, ubi satis indicat antecessorem præscientiæ, quæ certe non potest esse nisi conditionata. Et similia habet in distinct. 47, artic. 1, quæst. 1; nam ait Deum non velle absolute salutem prædestinati, nisi per convenientiam ad præscientiam. Quocirca ea, quæ in his locis Bonaventura docet, vel sunt generalia verba, quibus omnes utimur, ut sunt illa de necessitate consequentiæ et consequentis, vel, si quid speciale addit, in nostram plane sententiam inclinat. In alio vero loco, 2, distinct. 37, artic. 1, quæst. 1, quem in dicto cap. 35 libri 3 tractavi, aperte tollit prædeterminationem, et in operibus gratiæ solam excitationem præviam, et simultaneum concursus agnoscit.

4. Tertio, adducitur Scotus. — Duplex quæstionis sensus. — Priorem docet esse contrarium libertati voluntatis. — Tertio, dicendum est de sententia Scoti, nam illum etiam utriusque sententiæ defensores in suum patrocinium allegant. Sed, ut breviter et distincte rem proponam, distinguendus est duplex sensus quæstionis supra tractatus, scilicet, an detur prædeterminatio physica in actu primo, quæ sit aliquid inhærens voluntati, distinctum ab actu secundo ejus, vel an detur in ipsomet actu secundo, solum per decretum absolutum volun-

tatis Dei, quo absolute voluit ut homo vellet, et virtute illius decreti influit in voluntatem hominis talem simultaneum influxum, cui illa non possit resistere. Priorem modum attigit Scotus in 4, distinct. 49, quæst. 6, § Dico ergo, et docet esse contrarium libertati voluntatis. Utitur autem nomine habitus, et dicit esse contra libertatem voluntatis, quod determinetur ad unum per habitum sibi inhærenter, qui non subiaceat quoad usum potestati ejus. Videturque loqui non solum de libertate actus, sed etiam de libertate potentiæ; inquit enim quod, si subjiceretur in agendo habitui sibi inhærenti, non esset superior illo, et consequenter non esset libera ex natura sua. Quam vero sit solida hæc illatio nunc non expendimus, id enim egimus in prolegom. 1, sed solum assertionem Scoti contrariam prædeterminationi physicæ per modum actus primi inde colligimus. Nam vel nomine habitus intelligit entitatem creatam inhærentem potentiæ liberæ, quæ sit principium actus ejus, et ejus dominio in usu non subdatur, vel certe si cum proprietate de habitu locutus est, ex paritate rationis extenditur ad omnem actum primum ab extrinseco impressum voluntati, licet sit per modum entitatis vel qualitatis actualis, quia non minus impelleret voluntatem informando illam. Et hoc confirmat generalis doctrina ejusdem Scoti in 1, distinct. 39, § De secundo dico, ubi ad libertatem actus existimat necessarium quod voluntas, in eodem instanti quo actum elicit, ut est prius natura in actu primo constituta, ita ponat actum suum contingenter, quod ut prior naturaliter posset æque ponere aliud oppositum in esse; hoc enim principium aperte repugnat cum prædeterminatione physica in actu primo. Quod etiam repetit in 3, distinct. 18, circa finem, post solutionem ad secundum; et similiter in 2, distinct. 39, § Contra istud, in fine, ait, quod si voluntas agit secundum pondus datum, ita ut illo accepto non possit non agere, non libere agit. Et huc etiam spectant loca quæ supra lib. 3, cap. 35, adduximus, in quibus aperte negat necessitatem præviæ motionis ex vi generalis concursus Dei.

5. Posteriore fieri posse ut voluntas humana determinetur ad unum. — Deinde alterum modum attingit Scotus in 4, ubi supra, et indicat fieri posse ut voluntas humana determinetur ad unum, et ad exercitium actus, salva ejus libertate. Sic enim ait voluntatem beati determinari per voluntatem Dei, ut perpetuo amet ipsum, nec possit ab illo actu cessare, conser-

vando nihilominus libertatem voluntatis, et potestatem quam habet ad non amandum, vel etiam ad peccandum. Posset autem ille locus intelligi de libertate ipsius potentiæ, non autem de libertate actus. Nam priorem modum determinationis dixerat repugnare libertati ipsius potentiæ, quia ipsa (inquit) non esset voluntas, nisi esset causa prior, etc. Ergo, e contrario, cum dicit posteriorem modum determinationis esse possibilem, salva libertate voluntatis, intelligit de libertate ipsius potentiæ radicali et remota, non de libertate actus. Nam primum indicant illa verba ejus: Non sic autem est contra libertatem vel naturam ejus, quod determinetur a causa priori. Et præterea dicit illam determinationem auferre potentiam proximam agendi et non agendi, et solum relinquere remotam, unde inquit: Non est in potestate propinqua talis voluntatis peccare, quia non est in potestate ejus, quod impediens cesset. At vero illud posse remotum, cum non sit posse simpliciter, sed secundum quid, licet sufficiat ad libertatem potentiæ, non satis est ad libertatem actus, ut in prolegom. 1 ostensum est.

6. Juxta quam expositionem doctrina illa Scoti non est nobis contraria, sed potius supponit utramque determinationem esse contra libertatem, de qua nos agimus, licet non utraque sit contra naturam potentiæ liberæ, de quo egimus in dicto prolegomeno. Et mihi quidem placeret valde expositio, nisi in responsione ad quoddam argumentum diceret ibidem Scotus, illum actum amoris, ad quem Deus sic beatum determinat, esse laude dignum, pro quanto (inquit) ipsa voluntas in suo ordine contingenter se determinat. Idem autem est in illa materia contingenter quod libere, unde, non obstante prædeterminatione illa, admittit Scotus voluntatem se libere determinare, adeo ut actus ejus sit laude dignus. Propter quod fateor in his verbis multum favere Scotum illi sententiæ, quæ affirmat esse possibilem prædeterminationem, quæ immediate sit per voluntatem divinam absolutam et efficacem, immediate influentem in actum voluntatis humanæ, salva libertate ejusdem actus voluntatis humanæ. Sed in hoc non probamus ejus sententiam, et fortasse per libertatem solum intellexit perfectum voluntarium ab intrinseco, quod credit etiam sufficere, ut sit laudabilis actus, etiamsi fiat absque indifferentia. Sic enim solet alias loqui Scotus, cujus sententia in hoc etiam communiter non probatur.